

DESERVITORES.

ARTICULUS NOVUS ALIENÆ MANUS.

SUMMARIUM.

1. Quid nomine Deservitorum veniat. — 2. Deservitores ab Episcopo deputandi. — 3. Non solum quoad Ecclesias suæ collationis. — 4. Etiam quoad Ecclesias non subjectas concursui. — 5. Vacante Dignitate in Cathedrali, cui annexa est Parochialis, Episcopus nominat Deservitorem. — 6. Ecclesiæ

(1. Cum sæpe contingat, non posse statim Ecclesiæ Parochiali vacanti de idoneo Rectore provideri, præsertim si per formam concursus providendum sit; ne per eam moram populus Sacramentorum, ac Divini Verbi necessario pabulo careat, atque ita salus animarum in discrimen veniat, Concilium Tridentinum præscribens formam concursus in Ecclesiarum Parochialium provisione servandam, statuit quod « debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur. » Sess. LIII, c. 18 de Reformatione.

(2. Hinc deputationem et electionem Deservitoris sive Vicarii ad vacantem Ecclesiam competere soli Episcopo, etiam Sacram Congregationem declarasse, testatur Garcias, de Benef. p. 9, c. 2, n. 13.

(3. Et id non tantum quoad Ecclesias suæ collationis, sed etiam ad aliorum collationem, electionem vel provisionem, etiam Sedis Apostolicæ vigore reservationis, spectantes.

(4. Immo, licet Ecclesiæ vacantes non subjaceant concursui, nihilominus Episcopo, earum vacatione occurrente, constituendi Vicarium sive Deservitorem auctoritas competit.

(5. Quare vacante Dignitate in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata, cui annexa est Parochialis, Episcopus nominat ac deputat Vicarium, seu deservitorem; quamvis ipsa Parochialis sic unita concursui non exponatur: uti notat Massobrius in Praxi habendi concursus *Requis. 1, dub. 16*, qui et ibidem resolvit etiam in Ecclesiis unitis Capitulis deputandum esse per Episcopum idoneum Deservitorem; tametsi etiam Ecclesiis illis deserviretur per vicarios dumtaxat amovibiles.

(6. Similiter Ecclesiæ Patronatus laici, quin et Regii, quamvis a forma concursus exemptæ, ab Episcopis sine præcisa Patroni aut Regis nominatione vel presentatione hujusmodi Deservitorem accipiunt, qui curam Ecclesiæ vacantis habeat, donec de Rectore ei provideatur.

(7. Electo Deservitore, sive Vicario, Con-

DESPERATIO

Vide verb. VIRTUS num. 32.

DETRACTIO

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Detractio quoad ejus esse, et modos quibus fieri potest.*

1. Detractio quid sit. — 2. Quid sit fama. — 3. Quid sit honor. — 4. Honor in uno sensu est majus

Patronatus Laici et Regii accipiunt Deservitorem ab Episcopo, sine Patroni vel Regis nominatione. — 7. Episcopus determinat congruam sustentationem Deservitoribus. — 8. In eorum deputatione non debent audire Examinatores. — 9. 10. Deservitor debet subire onera Pastoralia. — 11. Deservitor potest dare Sacerdoti licentiam assistendi Matrimonio.

cilium Trident. permittit Episcopi arbitrio determinare portionem congruam ejus sustentationi necessariam; utique ex fructibus ipsius Ecclesiæ Parochialis vacantis.

(8. In deputatione et electione Deservitoris Episcopus audire non debet Examinatores Synodales; neque ab his Deservitor sive Vicarius examinari aut probari debet; sed illum Episcopus deputare potest, quem ipse idoneum judicaverit.

(9. Vicarius hujusmodi constitutus, ex Concilio Tridentino, debet subire onera Pastoralia, ipsique Ecclesiæ et Populo in Pastoralibus deservire.

(10. Unde Vicarius *Deservitor*, et Vicaria dici solet *Deservitura*, tamquam qui omnia præstet, quæ ipse Parochus præstare deberet. Et ideo in literis deputationis Vicarii sive Deservitoris, quarum forma extat apud Barbosam in Appendice ad Tractatum de Officio Episc. formula 56, hæc ita exprimitur: « Te Vicarium ipsius Ecclesiæ S. N. constituimus et deputamus, cum auctoritate Missas, et alia divina Officia celebrandi, Sacramenta administrandi, et alias functiones Ecclesiasticas obeundi, ad quæ tenetur, et quæ animarum quilibet Rector aut Administrator præstare et obire solet. »

(11. Quemadmodum administratio Sacramentorum, uti et assistentia matrimonio, non est proprie actus jurisdictionis, sed simpliciter actus Pastoralis; ita Deservitor aut Vicarius hujusmodi licentiam assistenti matrimonio alteri Sacerdoti dare potest ex Canonistarum fere omnium sententia; quia, ut ipsi inquirunt, delegatus est ad universitatem causarum, cui subdelegandi auctoritas competit; atque ita in praxi servatur.

Et hujusmodi jus assistendi matrimonio ita competere eidem manifestum est, ut licet Episcopus specialiter inhibuisset, ne ipse matrimonio individuo assisteret, nec ulli alteri Sacerdoti licentiam assistendi daret; nihilominus ejus assistentiam validum reddere matrimonium apud omnes in confesso est; quemadmodum declarasse Sacram Congregationem refert Sanchez de Matrimonio lib. 3, disput. 32, idque quia non obstante hac simplici prohibitione manet delegatus ad curam animarum, et loco Parochi.

bonum, quam fama, et in alio sensu est majus bonum fama, quam honor. — 5. Detractio dividitur primo in formalem et materialem, et quæ utraque sit. — 6. Detractio dividitur secundo in directam, et indirectam, et quæ utraque sit. — 7. Detractio dividitur

tertio in contumeliam, diffamationem, et susurratorem. — 8. Contumelia quid sit. — 9. Diffamatio quid sit. — 10. Susurratio quid sit. — 11. Detractio calumnians, nisi excuset materia levis, est semper peccatum mortale. — 12. Detractio non calumnians, sed tantum revelans, est peccatum mortale, quatuor concurrentibus conditionibus; his, vel una earum deficiente, evadit peccatum veniale, aut excusatur omnino a peccato. — 13. Defectu voluntarii perfecti, detractio, quæ de sui natura est peccatum mortale, redditur tantum veniale, vel nullum omnino peccatum. — 14. Qui detrahit ex naturali impetu prævæ consuetudinis, et loquacitatis absque omni advertentia ad damnum proximi, non peccat mortaliter in ipso actu, licet peccet in sua causa. — 15. Defectu materiae gravis detractio evadit solum peccatum veniale. — 16. Levitas, et gravitas materiae detractionis attendi debet potissimum ex conditione personæ, quæ infamatur. — 17. Regulariter non est mortale revelare defectus naturales animi, corporis, vel naturarum. — 18. Similiter non est mortale narrare defectus morales de aliquo in generali. — 19. Mortaliter tamen peccat, et detrahit, si quis de determinata persona in generali dicat, V. G. *se scire quid de illo, quod si dicat sit eum magno rubore affecturus.* — 20. Non est mortale de aliquo ignoto, vel indeterminato male loqui. — 21. Si tamen non sit tale crimen, quod in aliorum damnum redundet. Hinc qui dicit Religiosum talis Monasterii, vel Ordinis, hominem talis familiæ, tale, vel tale crimen commisisse, peccat. — 22. Gravius tamen, et gravissime peccat, qui Ordini, seu Congregationi alicui Religiosorum in communi, vel Monasterio detrahit dicendo V. G. quod in eo male et inobservanter vivatur nisi tamen sit plene notorium. — 23. Diffamatum in uno crimine, de altero valde affini diffamare, V. G. dicere de adultero, quod misit literas amatorias, est tantum peccatum veniale. — 24. Affertur regula generalis ad dignoscendum, quando peccat graviter, vel leviter in hujusmodi materia. — 25. Defectu rei occultæ detractio evadit solum peccatum veniale. — 26. Duplex est notorium, scilicet notorium notorietate juris, et notorium notorietate facti, et quid sit utrumque. — 27. Ad constituendum aliquid notorium notorietate facti, quot homines illud scire debeant. — 28. Crimen notorium notorietate juris, postquam per sententiam condemnatoriam publicatum est, potest divulgari sine injuria in omnibus aliis locis. — 29. Crimen notorium notorietate facti alicubi aliis ejusdem loci, seu viciniae id nondum scientibus manifestare non est peccatum saltem mortale. — 30. Si autem id fiat ex aliquo malo affectu, et effectu, scilicet ex gravi odio, vindicta, vel novo damno illius proximi, est peccatum mortale; si fiat ex mera loquacitate, est veniale; si fiat ex zelo animi, vel ad alium bonum finem, nullum est peccatum. — 31. Crimen notorium non absolute, sed respective, et limitate ad aliquem solum particularem locum, referre in alio loco, ad quem non erat alias de facili notitia perventura, est peccatum mortale contra justitiam. — 32. Secus probabiliter est quando crimen est notorium in aliquo loco seu Civitate simpliciter, et absolute. Attamen contraria opinio est communior, et probabilior. — 33. Qui occultum alicujus crimen ab aliis auditum narrat, non peccat saltem mortaliter, si absque propria confirmatione, et proposito nocendi narret, vel tales circumstantiæ concurrant, ut credibile sit audientes non esse credituros. — 34. Si vero cum propria asseveratione, et confirmatione, iisque circumstantiis tale auditum occultum crimen narretur, ut narratio suo pondere fidem apud audientes mereatur vel sinistram suspicionem generet, peccatur contra justitiam cum onere restitutionis. — 35. Si tamen in talis oculi criminis narratione tales circumstantiæ concurrant, ut narratio per se quidem fidem non mereatur, is vero qui narrat, animadvertat, audientes, non ex vi suæ

narrationis, propria tamen levitate esse credituros, vel malam suspensionem concepturos, non peccat quidem contra justitiam, sed tamen peccat contra Charitatem gravius, vel levius juxta qualitatem materiae. — 36. Peccat mortaliter cum obligatione restitutionis, qui infamatum jam emendatum de præterito, et jam obliato crimine, denuo sine justa causa infamat. — 37. Probabilius mortaliter peccat, qui occultum alterius crimen sine justa causa manifestat uni vel alteri viro prudenti non ulterius divulgato. — 38. Si quis autem salutis, vel consilii tantum causa, et non intentione detrahendi, et lædendi, alicui amico, seu consiliario taciturno narrat injuriam sibi factam, seu grave crimen contra se commissum, non peccat mortaliter, licet inde proveniat aliqua infamia auctori. — 39. Defunctis detrahere, seu eorum gravia crimina propalare, est peccatum mortale ad restitutionem obligans. — 40. Hinc etiam Historiographi contra justitiam peccant, si occulta mortuorum crimina pandant. — 41. Quo tamen ad mortuorum crimina publica jam oblivione sepulta vel sepelienda, seu uno, vel altero tantum loco cognita, plus Historicis, quam aliis hominibus est concessum. — 42. Peccant autem Historici describendo crimina mortuorum publica, et non referendo poenitentiam, vel emendationem, si resipuerint. — 43. Defectu injustitiæ revelandi crimen occultum, revelare non est peccatum. — 44. Cause justæ revelandi aliquid crimen verum occultum alterius sunt præsertim quatuor, quæ enumerantur. — 45. Propter primam causam, scilicet propter bonum ipsius revelantis, potest quis licite occultum crimen proximi, vel injuriam sibi factam revelare viro gravi et prudenti, ut consilium, vel in sua afflictione solamen capiat. — 46. Dummodo tamen pro quanto est sibi possibile cum minimo alterius damno fiat. — 47. Ad evadendam mortem, vel gravia tormenta ob crimen occultum alterius sibi falso impositum potest quis licite manifestare crimen occultum alterius verum. — 48. Nullimode autem licet crimen falsum imponere innocenti. — 49. Ut quis Officium, vel Beneficium sibi, vel suis dignis assequatur, non est illicitum saltem sub gravi competitoris non dignioris vitium occultum Collatori aperire. — 50. Propter secundam causam, scilicet propter bonum audientium, potest quis licite proximi occulta crimina, et incognitos defectus revelare ad audientium instructionem, informationem, et cautelam, ut sic a multis malis, et damnis liberentur. — 51. Propter tertiam causam, scilicet propter bonum ipsius delinquentis, potest quis manifestare Superiori defectus occultos subditi, ut sic corrigatur, et emendetur. — 52. Propter quartam causam, scilicet propter bonum commune Reipublicæ, vel Communitatis potest quis licite revelare occultum crimen vel incognitum defectum alterius, quoties ita necesse est ad impediendum majus damnum Reipublicæ, vel Communitatis. — 53. Detrahentes voluntarie, et sine causa audire, et cum facile potest, non impedire, est peccatum mortale. — 54. Audiens detrahentem cum aliis, inducendo, provocando, adjuvando peccat mortaliter contra justitiam, et ad restitutionem obligatur respectu infamati. — 55. Audiens detrahentem non inducendo sed solum consentiendo, et complacendo in detractionem, peccat mortaliter tantum contra Charitatem. — 56. Si quis delectaretur præcise de lepiditate, gratia, dexteritate, aut exaggeratione detractoris, esset inde culpandus peccati gravis. — 57. Audiens detrahentem non ipsum inducendo, nec ei consentiendo, sed tamen illum non impediendo, quando facile et commode potest, peccat mortaliter contra charitatem ex duplici respectu. — 58. Seipsum infamare sine rationabili causa est peccatum veniale tamen ubi nullum aliud intervenit detrimentum. — 59. Quando quis tamen se infamat in iis circumstantiis, in quibus graviter nocet Communitati, familiæ, proximo, etiam vitæ suæ, peccat mortaliter.

ARTICULUS II. — *Quoad obligationem restitutionis famæ, et quoad causas excusantes a tali restitutione.*

1. Qui crimen falsum alicui scienter imposuit, tenetur dictum suum retractare, etiam sub juramento, et adhibendo testes, si ita res exigat. — 2. Si auditores nullam habentes probabiliorem rationem renuant credere detractori se retractanti cum juramento, et testibus, tunc detractor ad nihil amplius obligatur. — 3. Qui crimen alicujus verum, sed occultum injuste prodidit, licet non teneatur retractare suum dictum, ne mentiatur, tenetur tamen alio modo facere compensationem, quatenus potest sine mendacio, ad num. 4. — 5. Si detractor revelavit alterius crimen aliquibus sub secreto; vel probabiliter credens ipsos rem aliis non esse divulgaturos, sufficit quod restituat famam apud suos immediatos auditores tantum; secus vero si non revelavit sub secreto, et sub tali probabilitate. — 6. Si ex infamia, quam alteri causavit detractor, sive falsum crimen narrando sive occultum prodendo, ortum sit ipsi etiam damnum fortunarum, debet integram satisfactionem facere prudentis viri arbitrio. — 7. Si ipse detractor non satisfecerit vivens læso in bonis fortunæ, tenetur satisfacere ipsius hæredes, sive ipsi læso, si adhuc vivat, sive ejus hæredibus, si fuerit mortuus. — 8. Non tenentur tamen hæredes infamatoris ad restitutionem famæ, si eam ipse non restituit. — 9. Tenetur autem ipse detractor, si supervixerit ei cui detraxit, famam ipsi restituere quanvis defuncto. — 10. Qui aliquem infamavit plane inadvertenter, et sine culpa, putans rem v. g. a se nar-

ARTICULUS I.

Detractio quoad ejus esse, et modos quibus fieri potest

(1. Detractio est alienæ famæ occulta et injusta læsio seu denigratio. Est in re communis. Hinc ad uberiores detractionis notitiam advertendum venit, quod quamvis honor, et fama quandoque sumantur pro eodem, revera tamen differunt. (2. Nam fama est existimatio bona de aliquo, quoad aliquod ejus bonum, v. g. quoad ejus virtutem, scientiam, pulchritudinem, nobilitatem, favorem Principum, divitias, et alia hujusmodi, quæ hominem commendant, et bonam de ipso existimationem causant. (3. Honor autem est testificatio quædam excellentiæ alterius; id est exhibitio alicujus rei, velut in testimonium, et recognitionem quamdam excellentiæ, quam habet ille, qui honoratur; ex quibus habes, quod fama consistit in interna bona existimatione; honor vero in externa significatione nostræ existimationis de excellentiæ alterius. (4. Hinc si honor sumatur prout includit famam, eique superaddit testificationem, recte dicit Lessius lib. 2. cap. 11. n. 5. quod honor sit majus bonum quam fama; et e contra si fama sumatur prout contradistincta ab honore; Cardin. de Lugo de Justitia disp. 14. n. 9. merito dicit famam prævalere honori, quia melius est interne haberi pro bono, quam externe tantum dici bonum, et interne haberi pro malo; si enim daretur optio, quilibet sanæ mentis mallet, quod alii bene, et honorifice de se in corde sentirent absque ullo signo, aut testificatione talis bonæ opinionis: seu existimationis quam quod bonam de se opinionem, seu existimationem significarent, in

ratam esse publicam, cum esset occulta, vel esse veram, cum esset falsa, talis id postea cognoscens tenetur ex justitia restituere famam, si possit absque suo gravi incommodo. — 11. Non obligatur talis materialis detractor ad reparanda damna secuta ante cognitum suum errorem, adhuc ipso in bona fide persistente. — 12. Sunt tamen reparanda damna illa, quæ sequuntur ex dilata culpabiliter restitutione famæ. — 13. Sic etiam, qui de Caio revelans grave crimen, advertit audientes per errorem intelligere de Titio, tenetur ex justitia restituere Titio. — 14. Prima causa excusans a restitutione famæ est spontanea condonatio facta ab eo, cujus infamia non redundat in alios. — 15. Secunda est, si ex cujuscumque detractione, proximo nullum secutum est damnum famæ, vel honoris. — 16. Tertia est justa compensatio. — 17. Quarta est, si id quod contra bonam famam alterius qui locutus est, jam in oblivione abiisse prudenter existimatur. — 18. Quinta est, si fama ablata jam fuit recuperata per aliam viam. — 19. Sexta est, si crimen occultum, quod quis aliquibus revelavit, alia ratione fiat publicum. — 20. Septima est, si bona fide quis persuasus esse verum, et publicum, narravit aliquid, et proximum diffamavit, non possit sine propria infamia, et magno incommodo restituere. — 21. Octava est, si restitutio famæ non possit fieri sine periculo vitæ. — 22. Nona est, si non possit fieri restitutio famæ alienæ, nisi cum jactura propriæ famæ, quæ sit longe majoris momenti. — 23. Decima est, si famæ restitutio sit impossibilis.

corde tamen male de ipso sentirent, juxta illud Matth. 15. et Marc. 7. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me; nunc autem, quia non cernuntur corda hominum, magis gaudet quis de honore, quam de fama sola; quia ex honore arguit se habere etiam bonam famam apud eos, qui ipsum exterius honorant. At absolute loquendo majus bonum esse famam, quam honorem secundum se, tenent Sotus 5. de Justitia q. 10. art. 2. Molina tom. 5. disp. 26. n. 1. Lugo l. c. n. 9. et alii.*

(3. Detractio varie dividitur. Primo dividitur ex parte voluntarii in detractionem formalem, et materialem. Detractio formalis est, quæ fit cum directa intentione alteri nocendi, seu alienam famam denigrandi. Detractio materialis est, quæ sit quidem absque directa intentione, et voluntate alteri nocendi, vel ejus famam denigrandi, sed tamen cum prævisio, vel prævideri debito periculo nocenti, seu infamiæ alterius, adeoque non sine indirecto voluntario, et intentione nocendi. Secundo dividitur ex parte modi detrahendi in detractionem directam, et indirectam. (6. Directa est illa, qua directe, et positive læditur fama proximi, et fit quatuor modis contentis in hoc versu :

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens; primo scilicet imponendo alicui crimen falsum, secundo amplificando, seu exaggerando crimen verum; tertio manifestando crimen occultum; quarto opus recte factum sinistre interpretando, seu temere exterius judicando, ut de illo Luca 11. *In Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.* Detractio indirecta est illa, qua solum indirecte, et quasi negative læditur fama proximi, et fit etiam

quatuor modis contentis in hoc alio versu :

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remisit; primo scilicet negando alterius bonum, seu recte factum, vel ejus dotes; secundo bonum, vel dotes alterius extenuando; tertio tacendo malitiose bonum, vel dotes alterius eo loco, et tempore, quo tale silentium interpretatur ab aliis pro tacita vituperatione; quarto ita frigide, et simulate loquendo, ut talis laus potius cedat in diminutionem famæ alterius, seu ejus vituperium juxta illud Gelli 1. 19. *«Turpius est exigue, atque frigide laudari, quam insectanter, et graviter vituperari.»* (7. Tertio dividitur detractio ex parte circumstantiarum in contumeliam, diffamationem, et susurrationem. (8. Contumelia est injuria, qua alteri crimen falsum, vel verum occultum palam in ejus præsentia quasi in faciem objicitur, et est gravior detractione, quia detractio lædit proximum in absentia, contumelia in præsentia, atque adeo illa lædit solum famam, ista vero famam, et honorem. Cum contumelia conveniunt *Convicium, et Improperium*; similiter *Derisio, et subsannatio*, quæ motibus injuriosis corporis fieri solet, juxta illud Proverb. 6. *Annuiit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum.* (9. Diffamatio est detractio famæ alterius publica, seu coram multis facta, et cum directa, vel indirecta intentione alterius infamiam in publicum propalandi. (10. Susurratio est prava oblocutio de proximo ad injuste tollendam amicitiam ipsius cum aliis, discordiamque seminandam, juxta illud Ecclesiastici 28. *Susurro et bilinguis maledictus.*

(11. Detractio calumnians, qua crimen falsum alteri imponitur, nisi excuset materia levis, est semper peccatum mortale, quia falsitatem proponere in nullo casu licitum existit, cum mendacium sit intrinsece malum, et si sit in materia gravi, peccatum mortale. Unde merito Innocent. XI. die 2. Martii 1679. tres sequentes condemnavit propositiones, quarum prior in ordine 30. sic habet : *«Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit.»* Altera ordine 43. sic sonat : *«Quidni non nisi veniale sit Detrahentis auctoritatem magnam*

(1) Ad coercendam detrahendi licentiam, respiciendasque quorundam casuistarum sententias, pio affectu legat Christianus caput 3 et 4 Epist. Cath. B. Jacobi apostoli teneatque hanc D. Thomæ doctrinam : *Si verba*, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale : nisi forte verbum, quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat, et præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. Summ. 2. 2. quæst. 73. a. 2. Nec ignorantia te excusat (sibi obligatione restituendi) si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam (Edit. Rom. 1766).

sibi noxiam falso crimine elidere?» Et alia ordine 44. sic dicit : *«Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat; et si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia (1).»*

(12. Detractio non calumnians, sed revelans tantum, qua alterius verum, sed occultum crimen proditur, est peccatum mortale, quatuor concurrentibus videlicet; primo, si adsit voluntarium perfectum; secundo, materia gravis; tertio, res occulta; quarto, injustitia revelandi. His conditionibus, vel una earum deficiente, evadit peccatum veniale, aut excusatur omnino a peccato. Est communis. (13. Hinc resolves primo, quod defectu voluntarii perfecti, detractio, quæ de sui natura esset peccatum mortale, redditur tantum veniale; aut excusatur omnino a peccato, sicuti patet in cæteris aliis peccatis. Divus enim Augustinus lib. de vera Religione cap. 4. sic expresse ait : *«Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.»* Etenim nisi dicamus ob imperfectionem actus, v. gr. ob ignorantiam, aut inadvertentiam ad nocendum proximi, vel ob vehementem passionem, aut præcipitantiam mentis, et linguæ, detractionem sæpissime excusari a mortali, ab eo familiare est hoc vitium, quod totum pene genus humanum periclitabitur, siquidem, ut dicit Divus Jacobus in sua Epistola Catholica cap. 3 : *Lingua modicum quidem membrum est, sed inquietum malum, quod nullus hominum domare potest.* (14. Unde qui detrahunt ex naturali impetu pravæ consuetudinis, et loquacitatis absque omni advertentia ad damnum proximi, non peccant mortaliter in ipso actu, licet peccent in sua causa, scilicet ipsa mala consuetudine voluntarie contracta, et retenta, juxta generalem regulam communiter traditam a Doctoribus in materia de peccatis ex consuetudine (2).

(15. Resolves secundo, quod defectu materiæ gravis detractio evadit solum peccatum veniale. Si enim levis sit materia, sive in se absolute, sive habita ratione circumstantiæ personæ, utique excusabitur a mortali, et evadet veniale ex parvitate materiæ, sicuti in cæteris peccatis versantibus circa

(2) Quomodo hæc regula intelligenda sit, exposuimus verb. BLASPHEMIA art. 1. in addit. ad n. 17. Quod autem attinet ad eos, qui ex loquacitate proximi detrahunt, hæc habet S. Thomas 2. 2. quæst. 73. art. 2. in corp. *«Si quidem verba per quæ fama alterius diminuitur, proferet aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi levitate vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi forte verbum quod dicitur, sit adeo grave quod notabiliter famam alicujus lædat, et præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et tenetur aliquis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cujuslibet rei subtractæ eo modo quo supra dictum est, cum de restitutione ageretur.»* (Edit. BARDELL.)

materiam divisibilem in levem, et gravem, juxta communem Doctorum sententiam in materia de peccatis. (16. Levitas autem, et gravitas materiæ detractionis attendi debent potissimum ex conditione personæ, quæ infamatur, quia fieri potest, ut narrando defectus alicujus solum veniales, vel etiam naturales, spectata conditione, et statu illius grave damnum quis inferat, et sic graviter peccat, ut si qualificatum, et optimi nominis Religiosum mendaciis assuetum esse dicat, virum gravem ac consularem dicat illegitime natum, ortum esse de genere hebræo, et hujusmodi. Et e contra fieri potest, ut non sit peccatum mortale referre peccata mortalia, quæ ob conditionem personæ non notabiliter famam lædant, v. gr. si quis dicat militem habere concubinam, fuisse ebrium, pugnasse in duello, adolescentem esse prodigum, deditum amoribus, etc. Sic communiter Doctores cum Layman leg. 3, tract. 3, part. 2, cap. 3, n. 3. Cajet. 2, 2, quæst. 73, art. 2, § *Ad hoc dicitur*, Sotus leg. 4, quæst. 6, art. 3, circa 4, arg.

(17. Ad uberiores hujus materiæ notitiam libet hic afferre varios casus particulares in praxi frequentissimos. Regulariter igitur non est mortale revelare defectus naturales animi, corporis, vel naturarum, v. g. quod quis sit ignarus, illegitimus, luscus, etc., nisi inde aliquod grave damnum ei sequatur, quia tales non sunt defectus mortales culpabiles. Ita communis. (18. Similiter non est mortale narrare defectus morales de aliquo in generali dicendo v. gr. esse superbum, iracundum, avarum, etc., quia audientes plerumque interpretantur de naturali propensione, et defectu involuntario; nec oritur grave damnum famæ; S. Anton. part. 1, tom. 8, c. 4. Layman l. c. cum communi. (19. Mortaliter tamen peccat, et detrahit, si quis de determinata persona in generali dicat, v. gr. *se scire quid de illo, quod si dicat, sit eum magno rubore affecturus*; quia audientes ex his, et similibus verbis arguunt de eo aliquod grave delictum afferens ei gravem infamiam. Omnes. (20. Non est mortale de aliquo ignoto, vel indeterminato male loqui, v. gr. in tali loco esse multos improbos, in tali Collegio unum Canonicum commisisse grave crimen, verb. gr. Simoniam; si tamen non sit tale crimen, quod in aliorum damnum redundet, quia tunc ratione talis gravis damni in alios redundantis erit mortale; Trul. d. 14, cum Azor. Bonac. Busemb. et alii passim. (21. Hinc qui dicit Religiosum talis familiæ, tale, vel tale crimen commisisse, v. gr. adulterium, fornicationem, et hujusmodi, peccat mortaliter, quia licet congregatio v. gr. Regularium re ipsa non maculetur ex unius Religiosi malitia aut perfidia, sicut nec Collegium Apostolorum ex prodicione Judæ, maculatur tamen apud homines simplices, et imperfectos, quibus id sæpe multiplici scandalo esse solet; S. Augustin. Ep. 137, ad Clerum Hipponensem, Layman loc. cit.

n. 12. Sporer tom. 2, tract. 5, cap. 4, num. 61. Molina, Navarr. et alii. (22. Gravius autem, et gravissime peccat, qui Ordini seu Congregationi alicui Religiosorum in communi, vel Monasterio detrahit dicendo v. gr. quod in ea male vivatur, non servetur Observantia Regularis, et hujusmodi (nisi tamen sit plane notorium), quia talis gravissimum damnum affert toti Religioni, seu Congregationi, aut Communitati Religiosæ; Layman l. c. n. 12. Trul. d. 12. Busemb. l. c. n. 15. Sotus Navarr. et alii passim. (23. Diffamatum in uno crimine de altero valde affini infamare, ut v. gr. dicere de adultero, quod miserit literas amatorias, est tantum peccatum veniale, quia tunc non notabiliter augetur infamia; de disparato tamen, et non connexo, seu affini delicto infamare, est mortale, quia infamis in uno genere vitii, non amisit jus famæ in aliis virtutibus; Tanner. d. 4, de just. qu. 8, d. 7, num. 141. Less. dub. 14. Busemb. loc. c. n. 11. Navarr. et alii plures. (24. Ne nimis in longum adducantur consimiles casus, ad dignoscendum, an graviter, vel leviter peccetur in hujusmodi materia, affertur sequens regula generalis adducta a meo Sporer loc. cit. n. 59. « Quoties notabiliter fama alterius læditur, sive defectus narratus sit mortalis, sive venialis, sive naturalis tantum, toties peccatur mortaliter. Quoties vero leviter solum læditur fama, peccatur venialiter: quando nihil læditur, quidquid dicatur, nihil peccatur ex hoc capite. »

(25. Resolves tertio, quod defectu rei occultæ detractio evadit solum peccatum veniale; nam crimen jam notorium referre apud alios jam scientes, vel sine dubio alio brevi scituros secluso alio maligno affectu, vel effectu malo, est ad summum peccatum veniale et sæpe etiam nullum peccatum. Quoad alios vero nondum scientes crimen alias notorium, diligenter est attendendum, quia notorietate sit notorium. (26. Duplex enim est notorium, scilicet, notorium notorietate juris, et notorium notorietate facti. Notorium notorietate juris dicitur id, quod scitur per confessionem rei in publico judicio, vel per sententiam Judicis jam publicatam; Notorium notorietate facti dicitur id, quod per ipsam facti evidentiam apud tot est ita notum, ut nulla tergiversatione celari possit; Glossa, in cap. *Vestra*, de Cohabitat. Cleric. et mulier. (27. Ut autem aliquid dicatur notorium notorietate facti, aliqui dicunt sufficere quod sciant decem, quia hic numerus sufficit ad constituendum populum, seu turbam, et Parochiam; lege 4, ff. *de vi honor. rapt.* Alii dicunt sufficere, quod sciant sex, quia hic numerus est plus, quam media pars numeri requisiti ad constituendum populum, seu turbam, et Parochiam. Alii vero, quos sequimur cum Abbate in Cap. *Vestra*, de Cohabitat. Cleric. et mulier. num. 16. Molina disput. 31. Layman l. c. num. 8. Lugo disp. 14, num. 70. Sporer loc. cit. n. 68, dicunt, quod, quando factum limites secreti, et occulti ita egreditur, ut attentata quantitate commu-

nitatis, qualitate hominum, et humana imbecillitate, prudentis arbitrio censeatur impossibile cohibere, quo minus in aliorum cohabitantium, vel vicinæ cognitionem deveniat, tunc respectu illius communitatis, vel vicinæ censebitur notorium, et publicum. Quare si Collegium constet octo incolis, sufficit plerumque quatuor, vel quinque crimen cognovisse, ut Collegio notorium censeatur; Sin autem Collegium, vel Monasterium constet viginti incolis, sufficit octo cognovisse; Si centum ibi inhabitent, sufficit quindecim, vel viginti scire; In oppido quadraginta domos continente, sufficit octo, vel decem diversarum domorum incolas tale crimen cognovisse; Si civitas quinquies mille habitatores contineat, sufficit triginta, vel quadraginta per Civitatem dispersos de tali crimine loqui, ut notorium, seu publicum censeatur, ac de eo ulterius apud nondum illud scientes loqui liceat. His adnotatis,

(28. Assero primo, Crimen notorium notorietate juris, postquam per condemnatoriam sententiam Judicis publicatum est, omnibus aliis locis sine injuria licite evulgari potest. Est communis cum Layman loc. cit. n. 10. Molina disput. 33, conclus. 9. Navarr. in Manual. cap. 18, n. 26. Valent. t. 3, d. 5, q. 17, part. 2, cum aliis ab ipsis citatis. Et ratio est, quia sicut Magistratus in criminis vindictam jus habet privandi reum bonis fortunæ, et vitæ ipsius, ita etiam jus habet eum privandi bonis famæ, idque re ipsa facere decernit, quando reum publica sententia coram populo condemnat, ita ut reus amittat tunc apud omnes omnino jus ad famam respectu illius criminis, de quo publice condemnatus est, ergo tale crimen evulgans non facit illi injuriam, et consequenter non peccat contra justitiam. Immo per se loquendo, et secluso alio malo effectu, neque peccat contra Charitatem, ut contra Sotum, Pier. Navarr. et alios probabiliter tenent Molina, et Layman locis citatis, Sporer loco cit. n. 69. Lessius, Tamburin. Dicastill. et alii plures, quia utitur jure suo, et licentia sibi a Magistratu juste concessa ad evulgandum alterius crimen, saltem in locis eidem Republicæ subjectis, vel aliis vicinis, seu commercio conjunctis; Ideo enim publice damnantur rei, ut alii eorum exemplari condemnatione deterreantur; quæ finalis ratio publicæ condemnationis currit, nempe pro locis eidem Republicæ subjectis, seu commercio conjunctis, sed etiam pro locis remotissimis, uti cum Lessio, Dicastil. advertit Tamburin. l. 9. Dec. cap. 3, § 2, num. 11, Sporer loc. c. n. 69 (1).

(29. Assero secundo, Crimen notorium

(1) « Est tamen mortale contra charitatem, inquit Antonius, de Justitia et Jure, c. 4, quæst. 7, rest. 2, crimen alterius alicubi publicum etiam per sententiam publicam judicis, detegere sine justa causa in eo loco quo fama non erat illud perlaturam, si auctor criminis erat ibi bonæ famæ. » Ita Lessius asserens hanc esse fere communem sententiam... « Si tamen fama communis crimen sic publicum brevi erat per-

notorietate facti alicubi, aliis ejusdem loci, seu vicinæ id nondum scientibus manifestare, non est peccatum saltem mortale. Sic communiter Doctores cum Scoto, in 4, d. 15, qu. 4, art. 1. Lugo, disp. 14, sect. 5. Navarr., cap. 28, num. 10. Cajetan., opuscul. 15. Responsionum, resp. 9. Layman, l. c., n. 8. Sporer, l. c., n. 70. Molina, tract. 4, disp. 31 et 32, et alii. Et ratio est, quia criminosus censetur tunc spoliatus et jure, et possessione famæ suæ, quando crimen adeo manifestum est, ut moraliter impossibile videatur, quin in aliorum cohabitantium notitiam deveniat; expedit enim ad bonum publicum, ut unusquisque ab aliis cognoscatur, qualis publice est, ne alii in ejus convictu, commercio, vel aliis actionibus humanis decipiantur. Unde recte observat Lessius, lib. 2, c. 11, n. 75, ex consuetudine totius orbis numquam homines putare se injuriam facere, si publica crimina aliis referant, per quod satis innovit crimen ita notorium aliis referre, non solum non esse peccatum contra justitiam, sed neque contra Charitatem, saltem mortale, per se loquendo, et præcindendo ab alio malo effectu, ut cum alii notant Tamburin., lib. 9, Decalog., cap. 3, § 2, num. 12. Sporer, l. c., n. 70. Felix Potestas, tom. 1, par. 2, num. 2759 et alii. (30. Si enim id faciat ex aliquo malo effectu, et affectu, scilicet ex gravi odio, vindicta vel novo damno illius proximi, est peccatum mortale; si fiat ex mera loquacitate, est veniale; et si fiat ex zelo bono, vel ad alium bonum finem, nullum est peccatum, ut ex communi testatur Sporer, l. c., n. 70.

(31. Assero tertio, Crimen notorium non absolute sed respective, et limitate, ad aliquem solum locum, verb. grat. privatam Communitatem, Collegium, Monasterium, familiam, et hujusmodi referre in alio loco, ad quem non erat de facili notitia perventura, est peccatum mortale contra justitiam. Est fere communis cum Molina, disp. 31 et 32. Soto, lib. 5, qu. 10, de Justit., art. 2. Layman, loco cit., num. 8. Tanner., tom. 3, disp. 4, de just., q. 8. Dub. 7, num. 142. Et ratio est, quia licet criminosus sit Diffamatus in loco commissi criminis, in alio tamen loco, ad quem non de facili est alias perventura talis notitia, retinet juste adhuc jus ad suam famam, adeoque tale crimen sic referens infert ei injuriam contra justitiam. (32. Secus probabiliter est, quando crimen est notorium in aliquo loco, seu Civitate simpliciter, et absolute, quia tunc potest sine ullo peccato, saltem gravi, referri in aliis locis remotis, vel literis eo scribi. Si enim, ut observat Card. de Lugo, disp. 14, sect. 6, num. 81, aliquis ex loco remoto huc veniret, posset illi tale crimen narrari, sicut

latura in locum, ubi revelasti; non peccas mortaliter contra charitatem illud antea aperiendi: quia fama brevi juste destruenda non magni aestimatur, nec proinde illius damnum censetur magnum. Dico *juste*, nam qui crimen, quod injuste divulgandum erat, prior divulgat, peccat mortaliter, et tenetur compensare damna. » (EDIT. BARBIELL.)